

# EPISTULA LEONINA

## CVI

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEXTAM (106) !**

## ARGUMENTA

- |  |              |
|--|--------------|
| <b>1. PRAEFATIO FABELLARUM GRIMMIANARUM.....</b>           | <b>05-13</b> |
| <b>2. VERSIONES FABELLARUM AD OBRUSSAM EXACTAE...14-24</b> |              |
| <b>3. LAPIDES LUMINOSI (MYTHUS ARAUCANUS).....</b>         | <b>25-27</b> |

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam  
centesimam sextam.*

*Tempestas in Germaniâ adhuc est valdē variabilis; utinam tu quidem  
fruaris caelo sereno, utinam vaces huic Epistulae Leoninae 106  
perlegendae ! Habemus hac in Epistulâ et Grimmiana et Araucana.  
Tolle, lege ! Spero fore, ut tibi placeant.*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. ,  
**die Dominico, 22. m. Maii, a.2016**



**SED EGO TE  
NARRATIONIBUS LEPIDIS  
ANILIBUSQUE FABULIS  
PROTINUS AVOCABO.**

Fratres **Iacobus** et **Vilelmus Grimm** in vico **Niederzwehren** audiunt Dominam **Viehmann** fabellas narrantem. Lineamentum secundum picturam ipsius **L. Katzenstein** confectum et a.1892 in periodico, c.t. *Die Gartenlaube* publicatum.

**APULEIUS, Metamorphoses 4,27. Sed ego te narrationibus lepidis anilibusque fabulis protinus avocabo**", et incipit: [28] Erant in quadam civitate rex et regina. Hi tres numero filias forma conspicuas habuere, sed maiores quidem natu, quamvis gratissima specie, idonee tamen celebrari posse laudibus humanis credebantur, at vero puellae iunioris tam praecipua tam praeclara pulchritudo nec exprimi ac ne sufficienter quidem laudari sermonis humani penuria poterat...

# ECCE FABELLAE GRIMMIANAE !



**Fabulae pueriles et domesticae a Iacobo & Vilelmo Grimm  
collectae, quas e theodisco sermone in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß.**

**Argumenta disci primi:**

Dedicatio ad Elisabetham de Arnim (Widmung an Elisabeth von Arnim) Praefationes editionum a. 1819 et 1837 (Vorreden zu den Ausgaben von 1819 und 1837). De Rano Rege aut Henrico Ferrato (Der Froschkönig oder der eiserne Heinrich) - De catto et mure inter se consociatis (Katze und Maus in Gesellschaft) - Puella Mariana (Marienkind) - De quodam homine ad formidinem discendam profecto (Märchen von einem, der auszog das Fürchten zu lernen) - De lupo et septem capellis - (Der Wolf und die sieben jungen Geißlein).

CD 28 paginae, datotheca pdf pretium € 24,90

[Exemplum legibile \(pdf 28 KB\)](#)


**Argumenta disci secundi:**

De Iohanne fideli, De bonâ mercaturâ, De miro fidicine, De duodecim fratribus, De convivis mendiculis, De fraterculo et sororculâ, De tribus pumilionibus silvestribus, De tribus netricibus, De Iohannulo et Margaritulâ, De tribus foliis serpentinis, De serpente albâ, De culmo carbone fabâ, De piscatore eiusque uxore, De vestificulo fortissimo. Scilicet nequaquam necessarium sit commendare has fabellas, quae iam pridem thesauro litteraturae mundanae addictae nunc êduntur tunicâ ornatae. Itaque hôc loco nihil restat nisi commemoramus bellulam adhortationem Apulei Asino aureo praefantis: "Lector (aut potius auditor) intende: laetaberis".

CD 58 paginae, datotheca pdf pretium € 32,90

[Exemplum legibile \(pdf 30 KB\)](#)

**Hi disci legibiles directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM  
TOLLE LEGE !**

**FABELLAE GRIMMIANAE****PRAEFATIO EDITIONIS SECUNDÆ A. 1819 FACTÆ****A IACOBO ET VILELMO GRIMM CONSCRIPTA****A NICOLAO GROSS IN LATINUM CONVERSA**

Interdum invenimus, cum tempestate aut aliâ calamitate a caelo missâ tota sementis sit humum prostrata, prope saepimenta vel fruticeta humilia, quae ad viam stent, parvum locum tutum esse relictum, quo singulae spicae permanerint erectae. Deinde si sol denuo prosperê splendescit, eaedem pergunt crescere sôlæ nec respectæ: nullâ falce maturâ resecantur ad magna horrea complenda, sed aestate exeunte,

cum hae spicae factae sint plenae et maturaе, quaeruntur a m nibus pauperibus, inter se apponuntur, diligenter colligantur, maioris aestimantur quam alioquin integrae mergites, domum feruntur, ubi per totam hiemem nutrimento sunt, fortasse etiam unicae sementi futurae.

Simili modo nobis videbatur multarum rerum, quae aetate priore floruisse, nihil relictum esse, ipsam memoriam earundem fere omnino esse perditam, nisi in vulgo restarent quaedam cantica et nonnulli libri et mythi et hae fabellae innocentiae. Sedes autem ad fornacem positae, focus coquinarius, scalae cellariae, dies festi adh c celebrati, pascua et silvae tranquillae, praesertim phantasia non obscurata – haec fuerunt saepimenta, quibus illa obiecta ab un  aetate alteri traderentur.

Haud scimus an id tempus fuerit aptissimum, quo hae fabellae litteris traderentur, quia ii, quibus sunt conservandae, etiam etiamque rarescunt. Qui easdem adh c nov runt, solent quidem nosse multas, quia hominum animi sevocantur a fabellis, non eae ab illis; at ipse mos fabellas narrandi magis magisque minuitur, sicut omnes habitaculorum hortorumque loci secreti, qui ab avo usque ad nepotem permanserant, nunc concedunt vanae magnificentiae semper mutabili, quae est similis subrisioni, quacum dicitur de his fabellis domesticis: generosae speciei, sed pretii vilissimi. Ubi hae fabellae adh c sunt, ibi ita vivunt, ut non deliberetur, utrum sint bonae an malae, utrum sint poeticae an hominibus sagacibus videantur esse insipidae: n tae sunt et diliguntur tales, quales acceptae sunt, iisdemque homines ultiro delectantur, sine ull  caus  extraordinari . Tam splendidus est mos, qui adh c vivit, eo quoque haec poesis congruit cum omnibus rebus numquam interitur, quod necessario studium excitat etiam contra aliam voluntatem. Ceterum facile animadvertisetur eadem poesis non inhaesisse nisi ibi, ubi hominum animi capaciores essent ad poesin nec vitae pravitatibus inhiberentur, ne imagines rerum concipient. Eodem sensu nos h c nolumus has fabellas praedicare aut defendere contra ipsam sententiam contrariam; eo ipso, quod exstant, causae est, cur easdem tudemur. Id autem, quod tam multipliciter perpetuoque delectavit et movit et docuit, necessitati cuidam obnoxium procul dubio exortum est ex illo fonte perenni, quo omnia animantia irrorantur; etiamsi est una tantum gutta a continuo quodam foliolo recepta, tamen fulget primo rubore matutino.

Itaque his fictionibus inhaeret illa puritas, propter quam parvuli nobis videntur tam mirabiles et beati; eaedem quadam tenus similiter ac parvuli habent tales oculos<sup>\*</sup> caeruleo-albos, vitio carentes, fulgentes, qui non iam crescunt, cum cetera membra adhuc sint tenera, infirma, inhabiliora,

---

<sup>\*</sup> quos parvuli ipsi tam libenter apprehendunt (Fischart, Gargantua 129b131b) et quos sibi afferre cupiunt.

quam ut recte fungantur muneribus terrestribus. Haec erat causa, cur nos his fabellis collectis non solum aliquid conferre vellemus ad historiam poeseos atque mythologiae colendae, sed etiam id nobis proponeremus, ut ipsa poesis, quae in his fabellis valet, vim haberet et delectaret quemcumque posset, id est, ut liber prodesset etiam educationi. Ad talem librum scribendum non quaerimus illam puritatem, quam non assequeremur nisi timidē seligeremus omnia, quae spectant ad quasdam res atque condiciones, quales cottidie inveniuntur neque ullo modo latēre possunt neque debent; talem puritatem qui quaerat eo errat, quod credit eadem quae fieri possint in libro impresso, fieri posse etiam in vitā verā. Nos quaerimus puritatem in narratione verā, cui nihil iniustum inhaeret obscurum. Itaque in hac novā editione diligenter delevimus omnem locutionem aetati puerili parum convenientem. Si quis tamen contra dixerit parentes hac aut illā re in angustias impelli et magis offendi, quam ut librum velint parvolorum mānibus indere, idem quibusdam in casibus si iustē sollicitetur, facile seligat fabellas minus aptas; at generaliter, si agitur de parvulis sanis, certē causae non est, cur sollicitetur. Nullā enim re melius defendimur quam ipsā naturā, quā effectum est, ut crescerent hi flores et haec folia tali colore figurāque; cui eadem secundum necessitates speciales non sunt conducibilia, ei non licet postulare, ut aliter colorentur et resecentur. Similiter etiam cum pluvia atque ros humum decidentes beneficio esse soleant omnibus, quae in terrā stant, is, qui non audet plantas illis supponere, quia eadem sunt nimis tenerae et periculum est, ne detimenti capiant, sed mavult in cubiculo iisdem aquam suffundere tepidam, non postulabit, ut ideo pluvia et ros prorsus desint. Prosperē autem procedere possunt omnia, quae sunt naturalia, eademque ut assequamur studeamus. Ceterum nullum librum novimus validum ac salubrem, quo vulgus salutariter admonitum est, si bibliam primo loco ponimus, quin contineat tales locos difficiles multo plures; at si rectē adhibentur, nil mali in iisdem invenitur, sed, ut pulchrē dicitur, testimonium cordis nostri. Parvuli sine metu digitis indicant stellas, cum alii superstitione populari inducti putent hōc modo laedi angelos.

Has fabellas collēgimus per tredecim fere annos; tomus primus, qui éditus est anno 1812, maximam partem continuit ea, quae in *Hassiae Comitatūs Hanoviensis* regionibus circa *Moenum* et *Kinzig* sitīs, unde sumus oriundi, paulatim et gradatim ore tradita acceperamus. Tomus alter finitus est anno 1814 celeriusque compositus est, partim, quia ipsius libri exorti erant amici, quibus tum, ubi certe viderant, quid contineret quove sensu, adiutus est, partim quia fortuna favit nobis, quae fortuito videtur efficere, sed plerumque adiuvat collectores perseverantes et industriosoſ. Si quis iam assuefactus est ad tales fabellas respiciendas, opinione saepius in eas inc̄dit, quod generaliter fit de vulgi

moribus, proprietatibus, proverbiis, iocationibus. Pulchras fabellas sermone Germaniae inferioris narratas in *Principatu Monasterii* et *Paderbornae* exortas debemus amicis valde benignis; in quibus fabellis prosperrimē apparet dialecti familiaritas intimaque integritas. Ibi, in regionibus libertatis Germanicae vetustā nobilitate inclutis, quibusdam in locis homines more vetusto conservato diebus festis ferē regulariter oblectantur mythis atque fabellis narrandis et terra adhūc abundat canticis consuetudinibusque heredio acceptis. Ibi, ubi scriptura partim nondum turbat rebus alienis introductis aut hebescit nimis onerata, partim, quia memoriam tutam reddens eidem nondum concedit negligentiam. Generaliter in gentibus, quarum litteratura non est maioris momenti, haec egestas eo compensari solet, quod narrationes fortius et minus obscurē traduntur loquendo. Itaque etiam *Saxonia inferior* videtur plures fabellas retinuisse quam aliae regiones. Saeculo decimo quinto, aut decimo sexto, aetate *Iohannis Sachsii* et *Fischartii*, in Germaniā quanto completius, quanto uberius fabellae colligi potuissent. <sup>\*\*</sup>

Per opportunē autem accidit, ut cognosceremus rusticam ex vico *Niederzwehrn* prope Casselliam sito oriundam, quae nobis narravit plerasque et pulcherrimas fabellas tomi secundi. Haec mulier, cui nomen erat *Viehmännin*, adhuc valuit viguitque, aetate haud multo plus quinquaginta annorum. Eidem erant oris lineaenta, ex quibus apparebat quaedam firmitas, prudentia, iucunditas, et visus oculorum acer lucidusque<sup>\*\*\*</sup> Quae rustica vetustas fabellas memoriā tenuit firmissimā, quali indole ipsa aiebat non omnes praeditos esse, nonnullos omnino nullas res inter se cohaerentes posse memoriter tenere. Narrabat autem consideratē et firmē et vividissimē propriāque cum voluptate, primo prorsus līberē, deinde, si id optabatur, iterum, sed tam lentē, ut verba eius scribi possent ab homine aliquatenus exercito. Nonnulla hoc modo sunt ad verbum conservata, quae vera esse non ignorabuntur. Qui putat, cum res traditae soleant facile falsari et negligenter asservari, fieri non potuisse, ut hae fabellae per longum tempus traderentur, utinam audivisset, quam accuratē haec mulier semper narraret et quam vehementer studeret fidei servandae; quotcumque aliquam fabellam narrabat, numquam argumentum mutabat et si quo loco lapsa erat, ubi primum animadvertisit, statim ipsa mendum corrigebat medio in sermone. Homines, qui numquam mutant modum

---

<sup>\*\*</sup> Mirum est apud Gallos non permisum esse, ut cantica tradita litteris mandarentur, cum ceteris in rebus omnibus uterentur scriptura. Caesar, qui hoc adnotat (de B.G.VI.4), putat Gallos eo voluisse prohibere, ne litteris confisi in canticis ediscendis memoriterque tenendis fierent negligenter. Etiam in Phaedro Platonis Thamus ad Theuth loquens, cum inveniat elementa litterarum, exprobrat scripturam nocitaram esse memoriae excolendae.

<sup>\*\*\*</sup> Frater noster Ludovicus Grimm huius mulieris imaginem veritati satis similem radendo delineavit, quae aliquando ēmi poterit in foliis fratris collectis, quorum unus fasciculus in Domo *Artaria* ēditus est. Eadem imago minore quidem modo, sed bono cum successu iterum chalcographata invenitur in tomi secundi frontispicio. Bello factum est, ut bona haec mulier redigeretur in miseriam et malam fortunam, quae ab hominibus beneficis potuit mitigari, sed non tolli. Pater eius nepotum numerosorum cum mortuus esset febri nervosā, parvulis orbatis in mulieris casā exorti sunt morbi summaque egestas. Ipsa in morbum incidit et mortua est d.17.m.Nov.a.1816.

vivendi, multo fidelius servant res traditas, quam ut nos magis ad mutationem propensi id comprehendamus. Eo ipso tales res tam multipliciter probatae quâdam sunt propinquitate gravissimâ intimâque probitate, ad quam aliae, quamvis specie sint multo splendidiore, non tam facile assequuntur. Poeseos popularis fundamentum epicum simile est pigmento viridi, quo magnâ cum varietate temperato atque per totam naturam diffuso saturamur et mitigamur, sed numquam defatigamur.

Eodem aut simili ex fonte praeter fabellas tomî secundi accepimus supplementa primi uberrima et multarum fabellarum ibi allatarum enarrationes meliores. *Hassia* cum sit terra montosa, seorsim a magnis viis militaribus sita, plerumque agriculturae dedita, ex eo utilitatem percipit, quod melius potest servare veteres mores et institutiones traditas. Quaedam animorum gravitas, sanitas, probitas, fortitudo, quae non remanebit ab historicis neglecta, ipsa virorum statura longa et formosa in illis regionibus habitantium, ubi erat Chattorum sedes propria, hôc modo relictæ sunt, ut inopia decoris atque commoditatis, quam aliquis ex aliâ terrâ, velut e Saxoniâ, veniens e contrario facile animadvertisit, potius videatur esse opportuna. Tum etiam senseris Hassicas regiones asperiores quidem, sed saepe eximiè magnificas necnon vivendi modum quadamtenus severum atque egenum toti huic terrae innatos esse. In summâ oportet Hassi referantur in numerum earum gentium patriæ nostræ, quae temporibus mutatis plurimum servaverint ut sedes vetustas ita indolis suae proprietatem.

Ea, quae etiam inveneramus ad collectionem nostram exaugendam, voluimus incorporare libro iterum êdendo. Itaque tomus primus fere totus est retractatus, quae fuerant imperfecta, sunt completa, nonnulla simplicius atque purius narrata, nec multæ fabellæ invenientur, quae non redditæ sint meliores. Iterum examinavimus, quae viderentur suspiciosa, id est, quae possent esse originis alienæ vel additamentis falsata, eademque omnia selegimus. In locum eorum supposuimus novas fabellas, quas interim acceperamus, et in quorum numerum etiam referimus symbolas ex Austriâ et Bohemiâ Germanicâ allatas, ut lector incidat in nonnulla sibi usque nunc prorsus ignota. Prius cum nobis parvum tantum spatiū concessum esset ad adnotationes scribendas, nunc libro exauto iisdem destinare potuimus proprium tomum tertium. Itaque fieri potuit, ut non sôlum ea referremus, quae prius illibenter retinueramus, sed etiam nova incisa afferremus huc spectantia, quibus, sicut speramus, etiam evidentius apparebit, ad scientias quantum valeant hae narrationes traditae.

Quod attinet ad rationem, qua collegimus, maximam vim attribuimus fidelitati atque veritati. Nam nihil umquam addidimus propriâ fictione,

nullam narrationis ductum vel circumstantiam fucavimus, sed eiusdem argumentum tale reddidimus, quale acceperamus; elocationem magnam partem originem repetere a nobis, per se intellegitur, tamen studuimus servare omnem proprietatem, quam animadvertisimus, ut hac quoque in re collectioni relinqueremus naturae multiplicatatem. Ceterum omnis qui simile opus tractet, intellegeget hanc fabellarum receptionem non dici posse socordem atque negligentem; e contrario necessariae sunt attentio et sensus numeri, qui paulatim demum paritur, ut simpliciora, puriora, tamen in se perfectiora discernantur a falsis. Diversas narrationes, quarum una aliâ suppleri potuit, neque iisdem inter se coniunctis ulla factae sunt contradictiones tollendae, ut unam tantum narrationem tradidimus, sed si inter se non congruebant, quo in casu omnis earum solebat proprietatibus insignis, optimam praetulimus ceterasque servavimus adnotationibus inserendas. Hae enim discrepantiae nobis videntur mirabiliores quam illis, qui easdem putent nihil esse nisi aberrationes et depravationes alicuius imaginis originalis, quae aliquando exstiterit; nam haud scimus an e contrario eaedem nihil sint nisi conamina, quibus narratores voluerunt viis multiplicibus accedere ad imaginem sôlâ in mente positam et inexhaustam. Singulae sententiae, ductûs, initia iterata consideranda sunt tamquam lineae epicae, quae, ubi primum ille tonus sonat, quo excitantur, semper iterantur, nec alio sensu possunt intellegi.

Dialectum certam libenter servavimus. Quod si fieri potuisset ubique, dubium non est, quin narrationes evasuras fuisse meliores. In his enim fabellis tradendis eruditio, subtilitas, linguae decus artificiosum sunt incommodo; sermo scriptualis purgatus sentitur, quantumcumque habilis sit in ceteris rebus omnibus, factus esse lucidior et magis perspicuus, sed etiam insipidor, tamquam fructus, quo nucleus non iam tam firmê circumcluditur. Dolendum est, quod dialectus Hassiae inferioris, qua Hassi loquuntur prope Casselliam, id est inter limites veterum pagorum Hassicorum, Saxonicae et Franconicae, mixtura est dialecti Saxoniae inferioris et Theodisci sermonis altioris parum definita neque purê comprehensibilis.

Quantum scimus, in Germaniâ non est alia collectio huiusmodi. Usque nunc fabellae aut communicatae sunt fortuîto relictæ aut tamquam materiae rudes, ex quibus tractando fierent narrationes maiores. At nos tales fabellarum tractationes strictê reprobamus. Dubium quidem non est, quin omni sensu poetandi vivido insit poeticum crementum et incrementum, sine quibus traditio esset infertîlis et emortua idque ipsum est causae, cur omnis regio secundum suam proprietatem, omne ôs aliter loquatur. At illa evolutio vix conscientia, plantarum quietae crescentiae similis, quae ipso fonte vitae imbibitur vehementer discrepat ab hac

permutatione consulto omnia ex voluntate connectenti et sane conglutinanti; hanc autem nos non permittimus. Alioquin enim unica norma fabellas tractandi esset sententia poetae modo praevalens, quae pendet ab eius eruditione, cum in illo incremento naturali in singulis efficit spiritus populi nec admittit, ut progrediatur cupiditas specialis. Si conceditur fabellas traditas valere ad scientias, id est, admittitur iisdem inhaerere opiniones et imagines aetatis praevetustae conservatas, per se intellegitur hanc fabellarum auctoritatem talibus tractationibus fere semper funditus everti. Nec vis poetica fabellarum tractando non augetur, nam ubi poesis vivit nisi ibi, ubi profecto nos recreat et refrigerat, calefacit et corroborat? At hae fabellae si quoquomodo tractantur, privantur simplicitate, innocentiam, modestam puritatem et eripiuntur e circulo, cuius sunt participes et ubi sine fastidio iterum iterumque cupiuntur. Fieri potest, quod est optimum, ut eaedem tractentur subtilitate, spiritu, praesertim facetiis, quibus aetatis res ridendae involvuntur, animi commotionibus teneriter delineatis, quod non est nimis difficile poetae, cuius eruditio poesi omnium gentium est nutrita, sed haec ingenii facultas magis nitet quam prodest. Nam poeta eadem facultate usus cogitat de fabellis semel tantum audiendis et legendis, ad quas aetas nostra est assuefacta, et in hunc finem colligit acutique stimulus. At cum facetiae fatigentur fabellis iterandis; id quod est perpetuum praestat quietem et tranquillitatem et puritatem. Ea manus exercita, quam fabellae tali modo tractantur, cum aliquatenus similis sit illi infeliciter habili, quam omnia tacta, etiam cibi, in aurum mutabantur, nos, etiamsi sumus ipsis in divitiis, neque esu neque potu potest satiare. Immo, ubi poeta solum vi imaginandi conatur comparare mythologiam imaginibus praeditam, aspectum quam calvum, quam desertum, quam informem tum omnia praebent, quamvis verba fiant optima atque fortissima! Ceterum hoc dicimus tantummodo contra fabellarum tractatores, qui fabellas pulchriores et magis poeticas reddere conantur, non contra poetas, qui easdem liberius receptas ad opera propria, quae tota spectant ad aetatem suam; nam cui libeat limitare poesin?

Cum hunc librum tradimus manibus benevolis, cogitemus de vi salutari, quae iis inest, et exoptamus ut illos, qui talia frustula poeseos invideant hominibus pauperibus et continentibus, prorsus lateant.

Casselliae, die 3., m. Iulii, a. 1819.

## ADDITAMENTUM TERTIAE EDITIONIS A.1837 FACTAE

Aliquot fabellis novis alteri parti additis, inter quas insignes sunt nonnullae dialecto Helveticâ scriptae, nostrâ collectione in hac editione tertîa iterum exauctâ integritati, quatenus eam umquam assequi poterimus, appropinquavimus. Praeterea priores fabellae magnam partem iterum castigatae sunt et additamentis singulis ductibus audiendo acceptis suppletæ et locupletatae.

Tertia pars, cuius argumenta tantummodo spectant ad usum collectionis scientificum ideoque accipi potuit a circulo lectorum multo angustiore, huic editioni non inest, quia quaedam exempla huius partis adhuc venalia prostant in Reimerianâ domo editoriâ Berolinensi. Postea haec pars tertia velimus êdatur ut opus proprium, in quo etiam ea collocentur, quae editioni proximae praeteritae praefati eramus de vi fabellarum deque moribus parvulorum.

Hac fabellarum collectione cum tradita fideliter recepissemus, cum verbis usi essemus non nimis arcessitis, et, nisi immodestum videtur hōc dicere, cum collectanea nostra sint uberrima atque multiplicia, factum est, ut excitaretur studium perpetuum apud nos, apud exteris respectus. Inter varias versiones Anglica, cum sit maximē completa et linguae affinitate textui originali maximē sit propinqua, p̄aeferenda est. \*\*\*\*

Editionem huius libri minorem in cuius fabellis eligendis simul respeximus scrupulos eorum, qui non omnem fabellam collectionis maioris ad parvulos aptam ducunt, uno tantum tomo parvo primum curavimus a.1825, deinde 1833 et 1836.

Has fabellas traditas valere ad scientias exaugendas eo confirmatum est, quod haud paucae earum affines esse vetustis mythis deorum mirum in modum apparuerunt nec raro factum est, ut investigatores mythologiae Germanicae ad illas provocarent, immo illis fabellis et mythis nordicis inter se congruentibus demonstrarent tales narrationes e stirpe communi exortas esse.

Si lectores huic libro favere perrexerint, nos ipsis nequaquam temperabimus, quin eundem continuo excolamus.

Gottingae, d.15. m.Maii a.1837.

---

\*\*\* Postquam *Franciscus Cohen* in periodico, c.t. „Quarterly Review“ (1819, m.Maio) fuse indicavit editionem vetustiorem, secundum alteram editionem publicata est versio a *Taylor* scripta, quae est in duas partes divisa et *Cruishankii* chalcographiis ingeniosè ornata („German popular stories“, Londinii 1823 et 1826), quae iterum est êdita. Praeterea excerptorum versio Batavica („Sprookjes-boek voor Kinderen“. Amstelodami 1820), necnon Danica a *Hegermann-Lindencrone* facta („Björne Eventyr“, Hafniae 1820 aut 1821); nonnullae fabulae conversae sunt a *Molbech* („Julegave for Børn“ 1835 et 1836), aliae ab *Öhlenschläger*. Acta diurna Francogallica, q.t. „Journal des Débats“, d.4. m.Aug. a.1832 edita continent verba arguta de libro facta, et ut specimen fabellam Henrici ferrei translatam: porro eadem acta diruna d.1. m.Ian. a.1834 edita fragmentum e fabella luniperi excerptum; postea (Parisiis a.1836) edita sunt „Contes choisis de Grimm traduits par F.C. Gérard“ chalcographiis ornata.

**PRAEFATIONEM  
FABELLARUM GRIMMIANARUM  
A IACOBO ET VILELMO GRIMM  
SCRIPTAM  
IN LATINUM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>



## VERSIONES FABELLARUM GRIMMIANARUM LATINAE AD OBRUSSAM EXACTAE

**Brüder Grimm:** *Et nisi mortui sunt... Und wenn sie nicht gestorben sind...* Die 12 schönsten Märchen der Brüder Grimm Latein-Deutsch. Ausgewählt und übersetzt von Franz Schlosser. Mit einem Vorwort von Andreas Fritsch. WBG (= Wissenschaftliche Buchgesellschaft Darmstadt) 2015. pp. 152. Editio originalis: *Erat olim...* Philipp Reclam jun. GmbH & Co. KG, Stuttgart 2015.

Grimmianam aliquam fabellam in Latinum convertere haud pauci interpretes neolatini iam conati sunt. Sermone enim talium fabellarum levi et familiari, ad captum parvulorum accommodato, videntur quadamtenus invitari ad tentamen subeundum ipsi Latinitatis tirunculi. At caveat interpres arti suaem temere confidens: verba facilia non semper facile redduntur. Nam ars latet arte suâ.

Nuper in Aedibus Societatis Librorum Scientiae Darmstadiensibus editus est libellus aspectu perpulchro, involucro durabili et versicolori instructus, cui insunt duodecim fabellae Grimmianaæ a *Francisco Schlosser* Latinè redditæ. Quarum tituli originales non solum in Germaniâ bene nōtae sunt: *Aschenputtel*, *Schneewittchen*, *Hänsel und Gretel*, *Rotkäppchen*, *Dornröschen*, *Der Froschkönig*, *Hans im Glück*, *Der Wolf und die sieben Geißlein*, *Frau Holle*, *Das tapfere Schneiderlein*, *Rumpelstilzchen*, *Die Bremer Stadtmusikanten*.

*Andreas Fritsch* Professor emeritus philologiae latinae neolatinaeque necnon disciplinae didacticae peritissimus præfatione suâ doctê disserit,

quaenam notio sit fabellae apologie et qualia opuscula huiusmodi inveniantur in Latinis litteris antiquis atque recentioribus.

Bonus autem Andreas, qua est humanitate atque urbanitate, ipse a censurâ versionum Latinarum abstinenſ eandem delegat lectoribus peritis (Praefatio p.10): »*Num Latinitate fideliter reddantur spiritus et affectus animi illorum, qui has fabellas narraverunt sermone theodisco, num Latinitas interpretis respondeat Latinitati veterum Romanorum, oportet diiudicet ipse lector peritus ipsaque lectrix perita. Ut cumque res casura est, iidem delectabuntur et incitabuntur necnon multimodis evadent doctiores*«<sup>1</sup>.

At talis abstinentia sententiae ferendae licet deceat auctorem praefationis, tamen lector benevolus, lectrix benevola nobis ipsis, qui *cum* fabulis in Latinum convertendis per multos iam annos summâ operâ dediti sumus, *tum* interim sexaginta ferê fabellas Grimmianas (eas quoque, quas Franciscus nobis offert in libello suo Latinê redditas) togâ iam induimus, benignê permittat, ut hunc libellum ad obrussam exigamus.

inc. = incisum, lin. = linea Inter se comparantur textus originalis et versio Schlosseriana, additur versio existimantis propria.

### **Aschenputtel**

p.12 et passim: *Cinderella*

\*Cinderentula, ae f.<sup>2</sup>

**p.13, lin.11: Die Frau hatte zwei Töchter mit ins Haus gebracht...**

p.14, lin.1: *Femina duas filias in matrimonium duxit...*

Locutio Latina, q.e. “in matrimonium ducere”, spectat ad virum, qui feminam in matrimonium dicit, non ad mulierem, qui filias in domum secum adducit. Ceterum hōc loco tempus plusquamperfectum est praeferendum.

Ergo: Noverca duas filias secum adduxerat familiae inserendas<sup>3</sup>...

<sup>1</sup> cfr orig. op.mem. p.10: »Ob das Latein den Geist und die Stimmung der deutschen Märchen wiedergibt und ob das Latein des Übersetzers dem Latein der alten Römer entspricht, muss der kundige Leser, die kundige Leserin selbst beurteilen. In jedem Fall wird die Lektüre unterhaltsam, anregend und in vielfacher Hinsicht lehrreich sein«.

<sup>2</sup> = \*Ciner(ul)entula, ab adiectivo, q.e. cinerulentus, -a, -um = cinere obtectus.

cfr Alfred von Gutschmid: Philologus, tom.X, De rerum Aegyptiacarum scriptoribus Graecis ante Alexandrum Magnum, Göttingen 1855, p.655: “A Graecis narratio de Nitocride patriis elementis tincta est, et talis qualis ab Aeliano (Var.Hist.XIII,32) Rhodopidis historia traditur, haud multum differt a fabula illa Germaniae, qua **Cinderentula [Aschenbrödel]** celebratur; ne calceus quidem deest puellae ab avi eruptus et ad regem delatus ad probandam eius pedis pulchritudinem.”

Helfer, Lexicon auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.89, s.v. Aschenbrödel (= Societas Latina München 1933). Honoratus Tescari 1957 [http://search.proquest.com/openview/\\_d1d6adcb9beb7b8692979156be\\_b393fe/1?pq-origsite](http://search.proquest.com/openview/_d1d6adcb9beb7b8692979156be_b393fe/1?pq-origsite) = gscholar&cbl=1817656.Vito Teti 1978.

PONS Schülerwörterbuch Fromm 2007.

<sup>3</sup> inserere aliquem familiae per adoptionem, Suet. Claud. 39 fin.

**p.13, lin.11sq. die schön und weiß von Angesicht waren, aber garstig und schwarz im Herzen...**

p.14, lin.1sq. *quarum cutis candida, quarum corda autem improba et pernigra erant.*  
...quae erant pulchrae et candidae facie, anima turpes et malae.

**p.13, lin.12sq. Da ging eine schlimme Zeit für das arme Stieftkind an.**

p.14, lin.2sq. *Cinderella in futurum dirum prospiciebat.*

Tum filiae privignae incohatum est tempus miserrimum.

**p.13, lin.13 die dumme Gans**

p.14, lin.3 *vacca stulta;* cfr p.61, inc.2, lin.9 *Dumme Gans*, p.62, inc.2, lin.8 *O te fatuam.*  
ista belua<sup>4</sup>

**p.15, lin.6 Stiefschwestern**

p.14, lin.7 *sorores ex noverca susceptae*, lin.20 *Sororibus ex noverca susceptis.*  
p.16, lin.3.  
comprivignae<sup>5</sup>

**p.15,lin.4sq.: „Vater, das erste Reis, das euch auf eurem Heimweg an den Hut stößt, das brecht für mich ab.“**

p.14, incisum 2, lin.3sq. *“Pater, primum ramulum, quem domum revertens petaso tanges, mihi quaeso defringe.”*

Tum illa: “Atta”, inquit „primum sarmentum, quo petasus tui domum euntis tactus erit, velim, mihi deceptum afferas.”

**p.15, lin.11 das Reis**

p.14, incisum 2, lin.10: *ramum*  
sarmentum, -i n.

**p.15, incisum 2, lin.7 gehorchte**

p.16, lin.6 *dicto sororum audivit*  
audire non facit dativum!  
(sororibus) oboedivit

**p.19, lin.4 Nun wartete der Königsohn bis der Vater kam...**

p.20, lin.3 *Regis filius exspectavit dum pater eius venerit.*  
Usus temporis non quadrat !  
Nunc filius regis exspectavit, dum pater veniret...

**p.19, incisum 5, lin.5sq.: Der Alte dachte “sollte es Aschenputtel sein”...**

<sup>4</sup> cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., tom.1, col.806, s.v. **belua:** „II) übtr.: a) als Schimpfwort v. Menschen, a) = dummer Mensch, Rindvieh, Schafskopf, Komik. (s. Brix Plaut.trin.952)“

<sup>5</sup> **+comprivigna**, -ae f. cfr Johann Lyser, Polygamia triumphatrix, id est Discursus politicus de polygamia, Londini Scanorum 1682, Index s.v. Comprivigna potest duci. - cfr Christian Thomasius, Institutionum Jurisprudentiae Divinae libri tres, Halae 1702, p.520,165.: “Quod si autem noverca patri meo partum non ediderit, possem ejus filiam ab altero marito, cui post mortem patris mei nupsit, conceptam matrimonio mihi jungere, etsi haec filia nata sit, postquam noverca cum patre meo una caro facta erat, nam lex divina rationem prohibitionis non in unione carnis ponit, sed in partu fratris communis.”

p.20, lin.4sq. *Vetus secum: „Fieri potest, ut de Cinerella agatur.“*  
 Tum pater secum cogitavit: ‘Num illa est Cinerentula?’

**p.21, inc.3, lin.2 zur Hochzeit**

p.22, inc.4, lin.2sq. *sollemnia matrimonialia*  
*nuptiae, -arum f.pl.*

**p.25, lin.5 Da blickte er auf ihren Fuß und sah wie das Blut herausquoll.**

p.24, inc.5, lin.1sq.: *Regis filius oculos in pedem coniecit, crux ex eo effluentem tibialisque alba rubefientia videt.*

Participium „\*rubefiens“ non exstat, quia in Latino sermone non exstant participia praesentis passiva, qualia sunt in Graeco.

Tum filius regis pede puellae aspecto vidi sanguinem effluentem.

**p.27, inc.4, lin.1sq. Als die Hochzeit mit dem Königsohn sollte gehalten werden, kamen die falschen Schwestern...**

p.26, inc.4, lin.1 *Die sollemnium matrimonialium agendorum sorores insidiosae venerunt,...*

Nuptiae autem cum filio regis cum essent celebranda, venerunt sorores fallaces...

**p.29 et passim: Schneewittchen**

p.28, lin.1: *Niviella*

*Haec derivatio parum convenit. Adiectivum deminutivum, q.e. niveolus, -a, -um, adhibetur a zoologis, e.g. Geron niveolus est species insectorum.*

Niveola, -ae f.

**p.29, lin.2 Schneeflocken**

p.28, lin.2 *nivibus plumeis*

*plumae nivales sive flocci nivales<sup>6</sup>*

p.28, lin.2 *decadentes*

*decidentes*

**p.29, inc.2, lin.2sq. ...und konnte nicht leiden, dass sie an Schönheit von jemand sollte übertroffen werden.**

p.30, incisum 2, lin.2sq. *Minime ferre poterat feminas, quae pulchritudine eam exsuperarent.*

Nec patiebatur esse feminas, quae se ipsa essent pulchriores.

**p.31, lin.1 Schneewittchen aber wuchs heran...**

p.30, incisum 6, lin.1: *Niviella autem pubescet...*

Verbum pubescendi spectat ad adulescentem masculinum, non femininam.

Niveola autem adolescet...

**p.31, inc.5, lin.2sq. ...wenn sie Schneewittchen erblickte, kehrte sich ihr das Herz im Leibe herum, so hasste sie das Mädchen.**

---

<sup>6</sup> floccus nivalis Kraft 540, Bayer 1777, delCol 2007, Weber 1745, Frisch 2,213a, Steinbach 1734, p.459; Albert, Imaginum Vocabularium Latinum, 2.ed., Saraviponti 2009, p.251: *pluma (-ae f.) nivalis – Schneeflocke – fiocco di neve – copo de nieve – flocon de neige – snowflake.*

p.32, lin.3sq. *Cum Niviellam conspiciebat, intestina in corpore eius rotabantur. Puella nimis odio ei erat.*

Cum Niveolam conspiciebat, tanto odio in Niveolam exardescebat, ut flammae urerent medullas.

**p.32, inc.2, lin.10:** *revertam*

*recte:* revertar

**p.32, inc.2, lin. paenultima sq. ...comedit...comedisso opinans**

(*ratio temporum non quadrat*)

**p.33, lin.5sq. Es lief solange nur die Füße noch fort konnten, bis es bald Abend werden wollte, ...**

p.32, inc.3, lin.5sq. *Cucurrit usque ad vesperum ineuntem, dum sustinere se potuit.*

Currebat quamdui pedibus promovebatur, usque dum advesperasceret...

**p.33, lin.9 *Löfflein***

p.34, lin.1 *cochlearulum*

\**cochlearcolum*<sup>7</sup>, -i n.

**p.33, inc.2, lin.9: *Gäbelchen***

p.34, inc.2, lin.6: *furcilla* (cfr incisum 1, lin.1: *fuscinellis*)  
*fuscinella*, -ae f.<sup>8</sup>

**p.35, lin.5 “was ist das Kind so schön!”**

p.34, inc.2, lin.13: „*Quae pulcherrima puella!*“

“En quam pulchram puellam!”

**p.35, inc.2, lin.4sq. *Da erzählte es ihnen, dass seine Stiefmutter es hätte wollen umbringen lassen.***

p.34, inc.3, lin.4 *Quibus narravit novercam eam interfici in animo habuisse.*

Tum iis narravit novercam vitae suae insidiatam esse.

**p.35, inc.2, lin.5sq. ...der Jäger hätte ihm aber das Leben geschenkt**

p.34, inc.3, lin.4sq. *venatorem autem vitae eius parcuisse*

*venatorem autem vitae suae pepercisse*

**p.37, lin.7 ...(*sie, i.e. regina*) merkte, dass der Jäger sie betrogen hatte...**

p.36, inc.6, lin.2: *Cognovit venatorem eam fraudavisse...*

<sup>7</sup> \**cochlearcolum*, -i n., cfr Johannes Kaempf, Enchiridium medicum, Francofurti 1788, p.221: „D. ter, quater de die **cochlearcolum** unum vel alterum, necnon et vitrioli martis factitii, ...“ - cfr Annales Academiae Groninganae 1829-1830, Groningae 1833, Responsio ad quaestionem chymicam, p.50, lin.8: „ In medio campanae affixum est manubrium porcellaneum ab, cui intra campanam affigitur **cochlearcolum** c, itidem porcellaneum.“ – cfr de Agrimonie eupatoria ejusque usum in quibusdam morbis, 1845, p.35: “Praescripsimus clysmata ex amylo paratum, et ter de die unum pulmento **cochlearcolum** pulveris sequentis miscere jussimus“. –

<sup>8</sup> cfr Anthony Rich, A Dictionary of Roman and Greek Antiquities, London 1860, p.310, s.v. *fuscinula*: “Certainly, *furcula* or *furcilla* might have been appropriately used for a two-pronged fork, like the top figure, and *fuscinula*, or **fuscinella** (which occurs as a cognomen ap. Grut. Inscript. 1141.1), for one with a greater number of prongs, like the lower one.”

Animadvertisit se a venatore fraudatam esse...

**p.37, lin.8 Und da sann und sann sie aufs Neue, wie sie es umbringen wollte;...**

p.36, inc.6, lin.2sq. *Rebus ita stantibus denuo occisionem puellae machinabatur.*

Itaque nunc denuo Niveolae necandae iterum iterumque insidiabatur.

**p.37, lin.11sq. In dieser Gestalt...**

p.38, lin.1 *Plane alia facta...*

Hoc habitu induito...

**p.37, lin.16sq. «Die ehrliche Frau kann ich hereinlassen» dachte Schneewittchen.**

p.38, lin.5sq. *"Huic bonae feminae simplici aditum dare possum."*

Quidni intrare sinam hanc mulierculam sinceram?

**p.37, lin.19 Schneewittchen hatte kein Arg...**

p.38, lin.7sq. *Niviella, quae nihil pravae cogitationis erat, ...*

Niveola, quae nullam haberet suspicionem, ...

**p.39, incisum 6, lin.1: Als sie das hörte, lief ihr alles Blut zum Herzen, so erschrak sie...**

p.40, lin.4 Cum hoc audiret, sanguis cor terrore percussum inundavit...

His auditis regina tam vehementer est territa, ut totus sanguis eius rueret ad cor,...<sup>9</sup>

**p.41, inc.6, lin.2 „Schneewittchen soll sterben, rief sie, und wenn es mein eigenes Leben kostet“.**

p.42, lin.9: „*Niviella moriatur*“, clamavit, „*ut ego ipsa peream.*“

Tum clamavit: »Pereat ista, etsi ipsa peribo!«

**p.45, inc.2, lin.7 ich will euch geben, was ihr dafür haben wollt.**

p.44, inc.5, lin.6sq. *quaecumque poscatis vobis pro ea dabo.*

Quaecumque poposceritis/postulaveritis, vobis pro ea dabo.

**p.45, inc.2, lin.14 der giftige Apfelgrütz, den Schneewittchen abgebissen hatte**

p.46, lin.2sq. *Mali volva veneno imbuta, quam Niviella mordicus abstulerat...*

Verbum, q.e. volva pomi, hoc loco non quadrat:

cicum māli veneno imbutum, quod demorderat,

Quadrat autem verbum antiquum, q.e. **cicum**, -i n., aut mediaevale, q.e. **+arulla**, -ae f.<sup>10</sup>

**p.45, inc.2, lin.18sq. Ich hab dich lieber als alles in der Welt**

p.46, lin.6sq. *Tu mihi omnibus in orbe terrarum gravior.*

<sup>9</sup> cfr Friedrich Hoffmann, *Opera omnia physico-medica*, tom.V, Genevae 1761, XVI., p.260sq.: "Alia autem plane est ratio terroris, metus, formidinis, pavoris; ... Et **cum sanguis sic cum impetu ruat ad cor** et pulmones, excitat ibi mole sua premente anxietatem intensam, spirandi angustiam, pulsus debilitatem et frequentiam".

<sup>10</sup> cfr Jacob & Wilhelm Grimm, *Deutsches Wörterbuch*, s.v. Grütz: „Griebs (s.o. teil 4, 1,6,254 und grotz(en) 2, s. teil 4,1,6,598), **arulla** grubz, grutz, gricz DIEFENBACH gl.52b...“ – **cicum**, -i n. VARRO ling.7,91. cfr Georges, *Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch*, 14. ed., tom.I, col.1126, s.v. "das Kerngehäuse des Granatapfels, auch übh. Der Griebs im Obste."

Tu mihi gratior omnibus, quae sunt in orbe terrarum.

p.46, inc.5, lin.1: *His verbis auribus perceptis...*  
 His verbis auditis/ perceptis

**p.49, lin.2 wohnte ein armer Holzhacker mit seiner Frau und seinen zwei Kindern...**

p.50, lin.3 *lignator cum uxore suisque duobus liberis vivebat.*  
 Pluralia tantum numerantur numeris distributivis, non cardinalibus! (cfr bina castra; binae litterae, i.q. duae epistulae, sed duae litterae i.q. duo elementa litterarum)  
*lignator pauper (!) cum uxore suisque binis (!) liberis vivebat*

**p.49, inc.1, lin. antepaenultima: *Bretter für die Särge***

p.50, inc.1, lin. antepaenultima: *tabulas sarcophagi*  
*Sarcophagi solent confici e lapide, non ligno.*  
*tabulas arcmarum funebrium*

**p.49, inc.1, lin paenultima: *ließ ihm keine Ruhe, bis er einwilligte.***

p.50, inc.1, lin. paeultima: *Exercuit eum dum assensus est.*  
*Eum urgere non desiit, dum sibi assentiretur.*

**p.49, inc.2, lin.2 ...hatten gehört, was die Stiefmutter zum Vater gesagt hatte.**

p.50, inc.2, lin.1sq. ...audiverant quod noverca patri dixisset.  
 Quia non est quaestio indirecta, non est causae, cur adhibetur coniunctivus.  
 ....audiverant ea quae noverca patri dixerat.

**p.51, inc.2, lin.6 Tasche**

p.52, inc.2, lin.5 : *busca*  
**bursa;** sive potius **sacculus (bracarum)**

**p.51, inc.2, lin.8 guckte nach dem Haus zurück und tat das wieder und immer wieder**

p.52, inc.2, lin.7 *casellamque respectavi, quod iterum iterumque fecit.*  
 Iterum iterumque ad casulam respectabat.

**p.53, inc.2, lin.9sq. wie sollen wir nun aus dem Wald kommen!**

p.52, inc.4, lin.8 *Utnam, inquit, e silva evadamus?*  
 Quoniam modo, inquit, e silvâ evadamus?

**p.53, lin.10sq. Wart nur ein Weilchen, bis der Mond aufgegangen ist, dann wollen wir den Weg schon finden.**

p.52, lin.ultima *Exspecta paulisper, (p.54, lin.1) Ubi luna orietur, viam reperiemus.*  
 Post coniunctionem “ubi” ponitur tempus futuri exacti, si in sententia principali ponitur futurum primum.  
*Exspecta paulisper; ubi luna orta erit, viam reperiemus.*

**p.55, inc.2, lin.2 Sie erhielten ihr Stückchen Brot, das war aber noch kleiner als das vorige Mal.**

p.56, lin.2 *Quibus frustulum panis dedit, quod parvius (sic!) quidem erat quam illud priori diei.*

Frustum panis acceperunt, quod etiam minus fuit illo prius accepto.

**p.55, inc.2, lin.7sq. die Morgensonne, die auf den Schornstein oben scheint**

p.56, lin.8sq. *sol matutinus est, qui in fumario se fundit*

*sol matutinus est caminum collustrans*

**p.55, inc.3, lin.4 bleibt nur da sitzen...wir gehen in den Wald...**

p.56, inc.2, lin.3 *Residete hic...nos in silvam imus*

*Residete hic, nos in silvam ibimus*

**p.55, inc.3, lin.6 teilte ihr Brot mit Hänsel**

p.56, inc.2, lin.5 *panem suam (sic!) cum Hannulo partita est*

*panem suum...*

**p.57, inc.2, lin.8sq. dass das Häuslein aus Brot gebaut war, und mit Kuchen gedeckt**

p.58, lin.4 *casellam pane aedificatam et dulciis constratam esse*

*domunculam esse e pane constructam et obiectam esse tegulîs e placentâ confectis,*

**p.59, inc.2, lin.4 Äpfel**

p.58, inc.4, lin.9 *mela*

*mâla*

**p.59, inc.3, lin.2sq. hatte das Brothäuslein bloß gebaut, um sie herbeizulocken.**

p.58, inc.5, lin.2 *Casellam paniferam exstruxerat ad eos in eam(!) inescandos.*

*Casulam paniceam exstruxerat ad illos alliciendos.*

**p.59, inc.3, lin.3sq. Wenn eins in ihre Gewalt kam, so machte sie es tot, kochte es und aß es, und das war ihr Festtag.**

p.58, inc.5, lin.2 *Quos (p.60, lin.1) nanciscebatur(!), necabat, comedebat, diem festum celebrabat.*

*quandocumque parvulum captâverat, eundem necâbat et percoquêbat et comedêbat tantâ cum voluptate, ut dies sibi viderêtur esse festus ac sollemnus.*

**p.59, inc.3, lin.5 eine feine Witterung**

p.60, lin.2 *Odoratu sagace (sic!)*

*odoratu sagaci*

**p.59, inc.3, lin.11 mit ihrer dünnen Hand**

p.60, inc.1, lin.8 *manu macro (sic!)*

*manu macrâ*

**p.59, inc.3, lin.paenultima Gretel fing an bitterlich zu weinen, aber es war alles vergeblich...**

p.60, lin.12sq. *Gretula effusissime flere coepit, sed fletus frustri (sic!) erant...*

*Margaritula coepit flere effusissime, sed frustra.*

**p.61, lin.4sq. damit ich fühle, ob du bald fett bist.**

p.60, inc.2, lin.3sq. *ut sentiam si(!) satis pinguis iam es.*

ut sentiam, num mox satis pinguēscas

**p.61, lin.6 Knöchlein**

p.60, inc.2, lin.4 *ossulum*

ossiculum, -i n. (PLIN.nat.11,134)

**p.61, inc.2, lin.5sq. Kriech hinein...und sieh zu ob recht eingehiezt ist, damit wir das Brot hineinschießen können.**

p.62, inc.2, lin.4sq. *Intro repe...et cura, ut furnus ad panem intromittendum satis calefactus erit.*

Irrepe et vide, num furnus tam bene calefactus sit, ut panem immittamus.

**p.63, inc.2, lin.18 gelangten sie an ein großes Wasser**

p.62, inc.3, lin.11 (item lin.14) *ad magnam profluentem pervenerunt.*

“ein großes Wasser” hoc loco est lacus vel similis res, sed non est aqua profluens “fließendes Wasser”).

venērunt ad magnum lacum

**p.67, lin.1 Rotkäppchen**

p.66, lin.1 *Mitella rubra*

Iam bene innotuit forma „\*Rubricappula“; quae est commodior.

Rubricappula, -ae f.

**p.67, lin.9sq. lauf nicht vom Weg ab, sonst fällst du und zerbrichst das Glas und die Großmutter hat nichts.**

p.68, lin.2 *aliter procides et lagoena frangetur et avia nihil auferet*  
ne procidas, ne lagoena diffringatur neve avia nihil accipiat

**p.67, inc.2, lin.6: Zur Großmutter.**

p.68, inc.2, lin.6 *Aviam convenio.*

**Aviam sum conventura.**

**p.69, lin.6sq. Du gehst ja für dich hin als wenn du zur Schule gingst, und ist so lustig hausen in dem Wald.**

p.68, inc.2, lin.15sqq. *Voluptatis expers meas (sic! a meando) quasi scholam appeteres neque animadvertis laetitiam atque hilaritatem in silva vigentes.*

Quidnam tam severe properas, quasi scholam appetas neque sentis, quam dulce sit ambulare per silvam?

**p.69, inc.3, Rotkäppchen aber war nach den Blumen herum gelaufen, und als es so viel zusammen hatte, dass es keine mehr tragen konnte, fiel ihm die Großmutter wieder ein...**

p.70, inc.2, lin.1sq. *Rubrimitella interea flores quaesiverat. Postquam tot carpsit quot portare posset (sic!), aviae meminerat...*

Rubricappula autem ambulaverat flores quaesitum. Cum plures flores haberet quam ut gerere posset, aviam recordata profecta est.

**p.71, lin.5 Ei, Großmutter, was hast du für große Ohren!**

p.70, inc.2, lin.7sq. *O avia, quam magnos (sic!) habes aures!*

Heus avia, quantas habes aures!

**p.71, inc.2, lin.5sq. Finde ich dich hier, du alter Sünder, ...ich habe dich lange gesucht.**

p.70, inc.3, lin.5 *Tandem te furem hic investigo...perdiu te agitavi.*  
Tandem te hīc invēni, veterator<sup>11</sup> vaferrime...perdiu te quaesiveram.

**p.71, inc.2, lin.8 schoss nicht**

p.70, inc.3, lin.7 *Glandem igniferam non excussit*  
Non iaculatus est/ Non sclopetavit<sup>12</sup>.

**p.71, inc.2, lin.11sq. Ach, wie war ich erschrocken, wie war's so dunkel in dem Wolf seinem Leib!**

p.70, inc.3, lin.10sq. *Dici non potest quantopere in ventre obscuro lupi inclusa metu perterrita essem!*  
O quam horrui, in ventre lupi quantae fuerunt tenebrae!

**p.73, inc.2, lin.3 hütete sich...**

p.72, inc.3, lin.3 *Quem...cauta est*  
Quem...cavat

**p.73, inc.2, lin.4sq. sagte der Großmutter, dass es dem Wolf begegnet wäre, der ihm guten Tag gewünscht, aber so bös aus den Augen geguckt hätte...**

p.72, inc.3, lin.4sq. *Aviae dixit se in lupum incidisse, qui vultu torvo eam (sic!) aspexit (sic!) et salvare iussit (!).*

Interpres et orationem obliquam et pronomen personale reflexivum neglexit.  
Aviae dixit se in lupum incidisse, illum se torve aspectam salutavisse.

**p.73, inc.2, lin.10 der Graukopf (i.e. lupus)**

p.72, inc.3, lin.9 Caniceps

Parum quadrat. Est verbum sine necessitate novatum, ceterum ambiguum: nam “cani-“ potest etiam derivari a cane, ut valeat aliquem, qui sit capite canino. Quidni utimur verbo antiquo?

rāvāstellus, -i m. sive grāvāstellus<sup>13</sup>, -i m.

**p.73, inc.2, lin.20 ertrank**

p.72, inc.3, lin.18 *in aqua periit*  
aquis submersus est.

<sup>11</sup> cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, tomII, col.3457, s.v. veterator: „l der in etw. alt geworden ist, ergraut, gewandt, routiniert, der Routinier...b) insbes. im übeln Sinne, durchtrieben, verschmitzt, non sunt in disputando vafri, non veteratores, non malitiosi, Cic.de rep.3,25: abs. = ein durchtriebener, verschmitzter Mensch, ein alter Fuchs, ein ausgemachter Schurke, Ter., Cic. u.a....“

<sup>12</sup> cfr Helfer, Lexicon Auxiliare, p.478, s.v. schießen: “\*sclopetare [Ei.81,213]

<sup>13</sup> cfr Walde-Hofmann, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, 4.ed., Heidelberg 1965, p.620: „grāvāstellus „Graukopf“ Plaut.Epid.620 P, aber rāvistellus A; beide Lesungen schon bei Festus; vgl. Paul.Fest.96 gravastellus...so ist wohl gravastellus nur als alte Textverderbnis von ravastellus (von \*rāvāster zu rāvus „grau“, vgl. peditāstellus, surdaster usw.) zu betrachten...“

Haec sufficient. Quattuor versionibus quadamtenus emendatis finem imponamus existimationi nostrae. Ceteras quoque versiones perlustrantes semper similia errata invênimus: insunt non pauca menda typographica, morphologica, semantica, syntactica. Interpres parum rectê utitur modo coniunctivo, non certê adhibet tempora, solet negligere consecutionem temporum et orationem obliquam. Talia tolli possunt a correctore; sed quid dicam de coloris Latini defectu deplorabili? Multo laboriosius est tales defectûs corrigere quam scribere versionem propriam. Ut addam duo exempla finalia: *Und die Magd rupfte das Huhn fertig* (p.81) Haec verba theodisca Franciscus reddit his verbis Latinis: *Ancilla ad finem plumarum gallinae evelendarum venit.* – En genetivos molestissimê accumulatos! En ultimum exemplum (p.97): *und Hans fing an von seinem Glück zu erzählen und wie er immer alles so vorteilhaft getauscht hätte* – Quae verba theodisca a Francisco sic convertuntur: *Hannes de sua arte e rebus inter se mutandis fructum capiendo narrabat.* Vae interpreti constipationis verborum amantissimo!

Num Franciscum soloecissantem excusemus verba Propertii afferentes: *In magnis voluisse sat est?* An praferenda sunt verba Ovidiana: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas?* Istae versiunculae non dignae sunt pulchro involucro, quo sunt compactae. Absint a prelo talia figmenta.

## VERSIONES

### FABELLARUM GRIMMIANARUM

LATINAE,

QUAS CONFECIT

FRANCISCUS SCHLOSSER,

AD OBRUSSAM EXEGIT

NICOLAUS GROSS



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

## LAPIDES LUMINOSI

### Mythus Araucanus

Indigenae Araucani, qui sese vocant *mapuches*<sup>1</sup>, antequam Hispani in Chiliam saeculo XVI pervenirent, vitam suo more degebant et quamquam nesciebant litteras tamen mythologiam ab atavis traditam oraliter colebant; una ex his mythistoriis de lapidibus luminosis infra narratur<sup>2</sup>.

Antequam ad casas construendas Araucani valuerunt, in montanis speluncis vivebant et sub vespere, cum noctem timerent, in illas caveas sese recipiebant, menteque fingebant horrenda et incognita foris fieri sub umbris; quoniam vero ignis usum nesciebant neque luce nocturna neque coctis alimentis neque calefactu utebantur; itaque noctem degebant metuentes atque ex speluncarum liminibus ad stellas suspiciebant, nam ibi atavos vivere credebat, quos orabant ut custodes se praeberent.

In quadam spelunca Caleus cum familia vivebat; ei erat uxor Callena filiaque Licana<sup>3</sup>. Ille ab speluncae limine noctu saepe ad caelum suspiciebat atque excogitabat quae ipse de orbe terrarum atque stellis intellegere nequibat; olim vero noctu vidit stellam omnium dissimilem, quae admirationem suam valde movit; fulgebat super omnes reliquas et longissimam comam ferebat; quamvis formosam visionem iudicaret, tamen valde sollicitus erat, quia nunquam ante quicquam simile in caelo viderat; adeoque mirabilis res erat, ut vicini ex speluncis exirent visuri, nam sciebant Caleum stellas intueri et sperabant se explanationem fortasse ab eo audituros esse; cum is se nescire quoque dixisset, reliqui sua vice ad tempus caelum custodiebant, eo consilio ut aliquam significationem intellegerent; sed nihil eis apparuit.

Vere postea incipiente Callena et Licana eiusque avia Collalia in nemora sunt profectae ad poma silvestria colligenda, quae alimenta hieme comedenter. “Redite sub vesperum” – inquit Caleus – “ne noctu ambuletis”; et Callena, ut semper cordata “ne sollicitaveris – inquit - quia sub vesperem redibimus; at umbrae si super nos ceciderint refugium habebimus in antro, quod in nemore est ad montem”. Statim avia et mater et filia profectae sunt, ferentes singula canistra, quae fructibus nemoris implere intendebant.

<sup>1</sup> Sonat fere *maputsie*.

<sup>2</sup> Moreno, Alberto: *Diccionario Mapuche*, Editorial Artemisa, Buenos Aires, Argentina, 2013, pag. 243 et sqq.

<sup>3</sup> Nomina araucana non facile in Latinitatem vertuntur; Caleu et Callén et Licán fiunt Caleus (-i) et Callena (-ae) et Licana (-ae); de latinizandis nominibus araucanis aliqua scripsi in Voce Latina (fasc. 201, an. 2015) cum Bellum Araucanum Dtrix. Sigrides Albert edidisset. Ibi, in appendice altera (pag. 380 – 382) difficultates in nominibus vernaculis vertendis latius exposui.

Tempus igitur postmeridianum sermocinando et ridendo degerunt, donec feracissimum nemus munera eis colorata donabat, adeo ut onerata canistra vix supportare possent; at mox noctem venientem senserunt et parumper ad suos currere coeperunt; deinde cum noctem duxerunt medio itinere esse adventuram, consilium mutarunt atque Callena in antrum, quod imo in nemore esse noverat, matrem et filiam conduxit; eo ope lunae cum venissent, in caelum suspexerunt videruntque stellam comatam: "id est - inquit Collalia - atavorum signum, cuius significationem adhuc nescimus"; postea stella ad Occidentem advolavit; cum umbrae revertissent, mulieres conturbatae et metuentes in antrum introierunt; ibi magnum rugitum ab imo terrae ventre audierunt et formidantes inter se sunt amplexae, dum spiritus protectores concordes invocant; deinde terra coepit magnopere quassari et foris nox subrubra luce paene illuminabatur velut si p[ro] ante solis radius parumper lucesceret; mulieres terrore commotae et clamantes viderunt raram lapidibus pluviam; lapides vero in solum collidentes scintillas eiciebant; "lapides luminosos" dixit Collalia, et ausae sunt ad limen appropinquare; lapides et saxa de monte deorsum rotantia, dum in solum resiliunt flamas ubique micabant; earum pauca in arborem siccam colliderunt atque statim incenderunt; indeque nox illuminata est; lucem videntes mulieres tranquillitate parumper perfructae sunt; Collaliaque huius rei causam ostendit: "quendam atavorum spiritum protectorem in stella comante iter habuisse, eamque lucem misisse ne timerent; donum ergo fuisse". Tunc puella Licana ex antro exire ausa est et ad arborem incensam appropinquavit; ramulum siccum sine ullo timore de solo sumpsit; quem ramulum ad flamas applicavit et statim taeda facta est; in antrum revertit ad matrem et aviam, quae mirantes idem fecerunt taedasque incenderunt; itaque ad suos illico statuerunt redire; in itinere ex taedis alias ramulos incendebant, quo semitam semper luce viderent.

Omnis Araucani ex speluncis exierunt, ut reciperent eas, quae focos in singulis speluncis incenderunt, deque lapidibus luminosis ab atavis missis sermonem habuerunt; die itaque crastino omnes ad lapides luminosos colligendos profecti sunt, eo consilio, ut ex iis foci possent incendi; sic enim didicerunt silices confricare, ut ignem acciperent; ex eo tempore alimenta coxerunt, hieme se calefecerunt, neque noctem postea formidarunt.

## **MYTHUM ARAUCANUM**



**LATINE NARRAVIT**

**PAULUS KANGISER**

**CHILIANUS IACOBOPOLITANUS**

**(*SANTIAGO DE CHILE*)**

**AUCTOR**

**COMMENTARII**

**DE BELLO ARAUCANO (1536-1883)**

**SCRIPTI**

**(VOX LATINA fasc.201/2015,p.360-384;**

**203/2016, p.74-94)**



LAUTARO (ca. a.1535–1557)  
regulus (*Toki*) Araucanorum.

## CORRIGENDA

**EL 105, p.5, lin.11sqq.:** In Sedis Vaticanae oeco penetrali, in throno suo purpurato, sedet Pius V. Papa, Pius Sanctus. (*non: Pius V. Papa sedet...purpurato*).

**p.8, lin.2:** fuerunt (*non: duerunt*).

**p.9, incisum 4, lin.10sq.:** Nonne Sanctitas Sua pocillum cocoae velit gustare (*non: velle gustare*)

p.10, lin.1: Inquisitor nictulat. (*non: nictulit*). \*nictulare, -o, -avi *theod. schnüffeln*. cfr Nicolaus Gross, Glossarium Fragrantiae, Fundatio Melissa & Musée de la Maison d'Érasme, Bruxelles 2004, p. 274, s.v. \*nictulo, -avi, -nictulare.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

# ECCE FABELLAE GRIMMIANAE !



**Fabulae pueriles et domesticae a Iacobo & Vilelmo Grimm  
collectae, quas e theodisco sermone in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß.**

**Argumenta disci primi:**

Dedicatio ad Elisabetham de Arnim (Widmung an Elisabeth von Arnim) Praefationes editionum a. 1819 et 1837 (Vorreden zu den Ausgaben von 1819 und 1837). De Rano Rege aut Henrico Ferrato (Der Froschkönig oder der eiserne Heinrich) - De catto et mure inter se consociatis (Katze und Maus in Gesellschaft) - Puella Mariana (Marienkind) - De quodam homine ad formidinem discendam profecto (Märchen von einem, der auszog das Fürchten zu lernen) - De lupo et septem capellis - (Der Wolf und die sieben jungen Geißlein).

CD 28 paginae, datotheca pdf pretium **€ 24,90**

[Exemplum legibile \(pdf 28 KB\)](#)

**Argumenta disci secundi:**

De Iohanne fideli, De bonâ mercaturâ, De miro fidicine, De duodecim fratribus, De convivis mendiculis, De fraterculo et sororculâ, De tribus pumilionibus silvestribus, De tribus netricibus, De Iohannulo et Margaritulâ, De tribus foliis serpentinis, De serpente albâ, De culmo carbone fabâ, De piscatore eiusque uxore, De vestificulo fortissimo. Scilicet nequaquam necessarium sit commendare has fabellas, quae iam pridem thesauro litteraturae mundanae addictae nunc êduntur tunicâ ornatae. Itaque hôc loco nihil restat nisi commemoramus bellulam adhortationem Apulei Asino aureo praefantis: "Lector (aut potius auditor) intende: laetaberis".

CD 58 paginae, datotheca pdf pretium **€ 32,90**

[Exemplum legibile \(pdf 30 KB\)](#)

**Hi disci legibiles directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM  
TOLLE LEGE !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEXTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominico, 22.m.Mai. a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**